Lietissime Nozze

COGOLLO - GIROTTO

Pregiatissima Sposa!

Quanto ci sembra conveniente che nelle Faustissime Vostre Nozze noi vi dimostriamo pubblicamente la nostra sincera allegrezza, altrettanto dobbiamo temere sulla opportunità delle cose che Vi presentiamo. In questi tempi così appassionati per le lingue vive lo stampare versi latini e non relativi all' occasione e il dedicarli a Voi potrebbe parere a molti una stranezza. Per certo ci sarebbe stato più caro lo scrivere delle rare vostre virtù domestiche, della bontà e gentilezza onde siete tanto pregiata, delle belle speranze che portate nella nuova famiglia; ma da ciò ne distolse la vostra modestia affatto schiva delle publiche lodi, che sono tortura alle anime delicate, e veramente virtuose. D'altronde abbiamo pensato che Voi pure potrete gustare questi versi sebben latini col mezzo dell' ottimo e coltissimo vostro Sposo, a cui in modo speciale appartengono.

Sono del suo Prozio Nob. Ab. Gaetano Cogollo nato in Vicenza il 3 Gennajo 1730, che fin dalla fanciullezza volgeva il suo ingegno alle lettere greche e latine, avendo a maestro il celebre Ab. Vicari, ed a condiscepoli

Michele Pavanello, Alberto Pieropan, Sebastiano Anti-Sola, nomi assai noti ai cultori della classica letteratura antica. Non è a dire con quanto diletto e trasporto vi si dedicasse per tutta la vita. Fatto Sacerdote, e rifiutata una Prebenda canonicale quasi potesse per gli offici annessi allentare la sua letteraria carriera, ricercò nella quiete dei campi un asilo più propizio alla sua musa, e nei semplici costumi del suo diletto Bolzano un più caro riscontro alla sua natura libera e franca, odiatrice delle compassate cerimonie cittadinesche, che fanno intisichire i cuori aperti e leali.

Ivi in un' agiata abitazione fabbricatasi con non lieve dispendio menava la maggior parte dell' anno, tutto occupato nello studio dei classici, nel tradurre, nel comporre, attendendo nell' istesso tempo ad ajutare di consiglio i poveri raggirati dai potenti, a mitigare colla elemosina le miserie altrui. Visse lunghissima vita tutta piena di salute e di operosità, e fu assai compianta la sua morte avvenuta il 7 Settembre 1816 tra quei buoni popolani che lo ricordano ancora. I suoi scritti non sono molti, ma eccellenti, accompagnati da varianti,

da note, da profonde osservazioni filologiche. Merita di essere particolarmente ricordata la traduzione in esametri del Carme di Museo intitolato Ero e Leandro, *che appena stampata gli fruttò la lode di fedele chiaro ed elegante traduttore. Giambattista Duso Arciprete di Bolzano e famigliarissimo suo, che sapeva bene accoppiare gli studi sacri colle amene lettere, fu tratto ad emulare l'amico voltando lo stesso Carme in bei versi italiani. Colla traduzione del Carme di Museo in un medesimo volumetto l'Ab. Cogollo mandava in luce alcuni epigrammi di vari autori ed un Idillio di Teocrito tradotti dal greco in versi latini, non che alcuni suoi epigrammi greci, i quali fanno fede come avesse a mano anche quella lingua e l'attico sale epigrammatico.*

Perchè adunque, Ottima Emilia, *vieppiù si conosca il merito di questo valente scrittore, non senza speranza di qualche giovamento letterario abbiamo riputato opportuno di metter fuori colle stampe alcuni altri suoi lavori approfittando della bella occasione del vostro Matrimonio. Fateci buona la nostra intenzione aggradendo la tenue offerta in segno di stima verso di Voi,*

e di amicizia verso gli egregi vostri Genitori, mentre con tutto l'animo preghiamo Dio di accompagnarvi nel nuovo stato con ogni maniera di benedizioni, quali Voi stessa desiderate.

Vicenza 23 *Agosto* 1863.

I Devotissimi Vostri

M. - F.

CARMINA

NOB. CAJETANI COGOLLO PRESBYT.

498

THEOCRITI IDYLLIUM XXI.

PISCATORES.

Paupertas, Diophante, una est quæ suscitat artes;
Ipsa docet duros patientes ferre labores,
Nam neque somnum illos sinit improba carpere cura,
Queis opus est tenuem manibus sibi quærere victum:
Si quis et attigerit pauxillum nocte, salubrem
Continuo instans interturbat cura soporem.
Par piscatorum provectum ætate cubabat
Una, strata alga tuguri sub paupere tecto,
E foliis constructo parieti reclinati;
Ante pedes autem calami, nec non calathisci,
Retiaque algosa, hami, funiculique jacebant,
Gibbosæque sagenæ, et viminei labyrinthi,
Et laquei, pellisque, et cymba imposta palangis,
Storea parva caput subter, tum pilea, vestes.
Hoc erat unum opus, hic labor illis, divitiæque.
Neutri vero erat olla, canem quoque neuter habebat,
Omnia at eximia, omnia piscatu apta videri;
Paupertas jucunda ipsis, curæque sequaces.

Nullus erat vicinus, sed casulam undique ad ipsam
Afflictam pressamque adnabat leniter æquor.
Nondum etiam lunæ perveneral orbita cursum
Ad medium, cum piscatores corpora somno
Corripere, ac dulcis labor advigilare jubebat;
Ex oculis molli discusso denique somno
Intentis animis cœpere hoc dicere carmen.

ASPHALION

Omnes mentiri credo quicumque putarunt
Noctes esse breves æstatis tempore, longos
Adducit nobis soles cum Juppiter, atqui
Tanta mihi cæcis insomnia visa tenebris,
Necdum etiam Oceano surgens Aurora rubescit.
Num fallor? Quidnam hoc? Tardant procedere noctes.

AMICUS

Æstatem incusas pulcram, Asphalion, neque enim ultro
Prætereunt certos labentia tempora cursus;
Verum acres dulcem curæ somnum excutientes
Nocturnas referunt ductas tibi longius horas.

ASPHALION

Conjicere anne potes tu somnia? Nam bona vidi;
Quin volo te mecum pariter cognoscere quæ sint;
Ac veluti cunctos capimus quos æquore pisces,
Sic etiam inter nos partiri somnia cuncta.
Ingenio nec quisquam ausit contendere tecum,
Quippe omnes vincis; conjector enim optimus ille est,
Explicat ingenio qui in somnis visa magistro.

Otia cum et sint; nam in foliis projectus ad æquor
Insanum quid agat quisquam? nec membra libenter
Fronde super somno relevans defessa labore?
Prædam ajunt lychnum in Prytaneo semper habere.

AMICUS

Dic mihi quæ tacita vidisti somnia nocte,
Atque tuo memorans edissere cuncta sodali.

ASPHALION

Vespere ubi mollis pressit mea lumina somnus
Et pelagi magno languebant membra labore,
(Sed neque me a multa luserunt somnia cœna,
Et meminisse potes, nox quam ante induceret umbras
Qui tenuis nostros victus suffulserit artus)
Me ipsum piscari conantem in rupe videbam,
Insidiasque sedens moliri piscibus, escam
Suspensam calamo quatiens, quæ falleret, et quam
Arripuit magnis avide de piscibus unus.
Nam et canis in somnis offam augurat, ast ego pisces.
Ille quidem hærebatque hamo, sanguisque fluebat,
Et varios per motus curvabatur arundo,
Atque manus tendens certamen erat, vim animantis
Qui tanti exiguo possem prædarier hamo.
Post tamen ipse meo volvens in pectore vulnus,
Num punges me? inquam; pungeris acerbius et tu;
Extendique manum, cum non effugerit ille:
Certamen video confecisse, attraho piscem
Aureum, qui e solido totus componitur auro.
Tum vero trepidare metu, ne forsitan unus
Dilectus multum Neptuno e piscibus esset,

Vel thesaurus forsan cæruleæ Amphitrites.
Hærentem fixo dissolvi dulciter hamo,
Ne hamo quidquam auri ipsius hæreret ab ore,
Et parvis traxi ad tellurem funibus ipsum;
Et juravi dehinc rediturum ad cærula nunquam,
Sed velle in tuta tranquille vivere terra,
Ponderibusque auri, mihi quæ fors obtulit, uti.
Hæc somnum avertere: animum mihi, amice, labantem
Tu firma, quæ juravi, violare timenti.

AMICUS

Nil metuas, neque tu jurasti, aureum neque piscem
Vidisti, atque auream te fallis arundine prædam
Venatum; sunt at mendacia somnia, namque
Si vigilans nec clausa tenens tua lumina somno
Scruteris loca quæ noctu tibi visa, requiret
Spes carnem piscis fallacibus excita somnis,
Ne ipse fame pereas, habeas licet aurea somnia.

EX RHIANO

DE HUMANA IMPRUDENTIA.

Certe omnes mentis vesanus decipit error
Mortales, parte et qua vergunt dona Deorum
Pectore quisque viri prudenti ferre recusant.
Nam quem pauperies vexat, mendicus oberrans
Crudele incusat cœlum, crudelia fata
Mærens virtutemque suam contemnit, et ipsam
Divini vim animi; coram locuplete nec audet
Aut quicquam facere, aut tremebundus dicere quicquam,
Sed pudor absumunt animum demissaque vultum
Tristities. At cui felicem ducere vitam
Juppiter ipse dedit, latis et pascua campis
Et latum imperium, hic pedibusque insistere terræ,
Et mortalibus haud memor esse parentibus ortum,
Vanusque, elatusque animis fastuque superbo
Ceu Deus intonat, et cervices parvulus ultra
Attollit caput, et thalamos Tritonidis ambit.
Sidereas jam affectat sedes, cœlicolarum
Ut numero acceptus mensaque et honore fruatur.

Ast Ate, levibus currens vehemens Dea plantis
Insperata, nec ulli visa supra caput astat
Atque instat senibus juvenili corpore, contra
Fraude petit juvenes facieque habituque senili,
Justitiæ gratum efficiens, regique Deorum.

IN NUPTIAS

LUDOVICI PORTO ET IRENES DE TRISSINO

Est pulcrum sane corpus servare pudicum,
Nec se concubitu intactam temerare puellam,
Casta die, et noctis meditari casta sub umbris,
Nec tumidi perferre latentia pondera ventris,
Nec duros trepidare tuos, Lucina, labores;
Sed decus eximium muliebris fulgere sexus,
Ad vitam omni nitentem ratione beatam,
Vera ubi connubia et Sanctarum fœdera legum,
Mixta ubi divinis pariet cœlestia verbis.
Quod si communis vitaï tanta cupido
Te rapit, et cursum certum est tentare secundum,
Conficere ut possis fauste et feliciter, audi.
Is tibi sit conjux statuent quem jussa parentum,
Felix, ter felix, si illum prudentia ducat.
At si contra alium fueris sortita maritum,
Hunc ipsum quoque leni animo tolerare necesse est;
Si quicquam prudens tibi conjux suaserit, ejus
Consiliis pare, nec tu in contraria tendas.

Esto blanda viro, et mage dum ipsum cura gravabit;
Namque uxor tristi est solamen dulce marito,
Quæ foris ille habeat, quæ confierique potessunt.
Sit tibi cura omnis domus, et custodia solers.
Tu, quæ scire nefas uxori, quærere noli;
Si tamen ipse tuam cupiat cognoscere mentem,
Illius intentas præbe sermonibns aures;
Sero autem, dum consilium de rebus habetis,
Responde, et promitte nihil, caveasque monere
Res tibi committat, vanus manet exitus illas.
Nupta uno prudens juvene est contenta marito.
Vir tuus insipienter agit? patiaris oportet.
Ah quoties morbum, quamvis afflicta, tulisti!
Ipsa tuos imo premito sub corde dolores,
Neve palam dicas, quid agat, neu cuncta parentes
Nosse velis, sed desipientem sola moneto,
Quodque tui officii est, sermoni parcito amaro;
Tristia vel prudentem irritant verba maritum,
Sæpius et vecordem mulcent blanda. Malorum
Si vero assuetudo pravum fecerit illum,
O fuge, nata, virum dictis contendere contra,
Sed socios inter per te discordia regnet.
Hæc facilis via perversum dissolvere fœdus,
Hoc prudentibus atque bonis pote reddere amicum,
Quisnam delirantem ultro sibi jungere quærat?
Sic tu illum sincere et tota dilige mente,
Et manifeste cernat, amoris pignora, natos
Ex animo quod ames; non illi æs pectora circum,
Ut non et mores, et verum noscat amorem.
Jam quæ te, virgo, fas est servare, docebo.
Nec te tristitiæ, multo nec dedito risu,
Otia nec dege, æquo plus nec sume laborem,
Neve esto lenis multum, neve aspera servis.

Mactantur damno faciles nimium, dominique
Imperitant fidenter servis, quos timor urget.
Sed neque amicitiæ cum externis fœdera firmes,
Quam studia ex aliis, et mentem noveris ante.
Prava anus, admoneo, penetret tua limina nunquam;
Sæpe anus evertit locupletes funditus ædes.
Nulla loquax tecum societur fœmina, quippe
Colloquia eximios corrumpunt improba mores.
Te non argenti non fulgor contegat auri,
Non tuo hyacinthus non collo lucescat ïaspis,
Queis mulier stupet insana, et tumefacta superbit;
Nec vero ornatus, virgo, sis indiga inanis.
In speculo nolito manu componere formam,
Nec crinem varios placeat tibi fingere in orbes,
Inficere aut vultum maculis sub lumina nigris.
Egregiam vobis formam natura, decusque
Præbuit, et cultu, atque omni ipsa potentior arte.
Nam quî te spectare hominis prudentia possit,
Tot cum ac tanta habeas quæsiti signa decoris?
Si te aliam ex alia factam, revolutaque rursus
Induere adspiciam non unam, nata, figuram?
Hæc ego Naumachii vobis præcepta poetæ
In latium e græco sermonem expressa canebam,
Vestra usque ut placido decurrat vita tenore,
Et Pax, et vestras habitet Concordia sedes.

IN NUPTIAS

CAJETANI FERRO ET MAGDALENAE TRISSINEAE

Forte vagans per culta Cupido rosaria, apim non
  Vidit, odoratis dum jacet illa rosis;

Sed sese stimulo confixum sensit acuto:
  Ejulat admorso ille manus digito,

Ad Venerem et currens trepidantibus advolat alis,
  Et perii, dixit, cara parens, perii;

Et morior, pupugit parvus me aliger anguis,
  Cujus nomen apim rustica turba vocat:

Illi mater; apis si tantum lædit acumen,
  Quantum ictus censes lædere, nate, tuos?

HELENA MARIA DE TRISSINO

A VELLERE AUREO

SOLEMNIA NUNCUPANTE VOTA INTER SACRAS VIRGINES

SANCTAE CATHARINAE

ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

Felix, ante alias felix, lectissima Virgo,
  Quæ, tibi dum tenero splendet in ore decor,
Purpureas vestes pellucidulosque lapillos,
  Aurumque, ornatas despiciensque comas,
Non mundi te flexit amor non blanda voluptas,
  Aut miscens multo dulcia felle Venus;
Sed tua in exsanguem defigens lumina Christum
  In quo uno sunt tantum omnia vera bona,
Noctes, atque dies illius amore liquescis,
  Cunctaque præ illo Apinas, et nihilum esse putas.
Ante alias ergo felix, lectissima Virgo,
  Quam tanto æternus contigit igne Deus.
Hic te olim cœli stellanti in sede locabit,
  Lucentique premes sidera fulva pede.

COMITISSA ALOYSIA DE TRISSINO

A VELLERE AUREO

SANCTAE TERESIAE INSIGNIA SUMENTE

INTER SACRAS VIRGINES

SANCTI ROCHI.

Inclyta Trissineo Virgo de sanguine creta
Cui pudor est cordi, nudaque simplicitas,
Nunc se diva tuis, Teresia, in ædibus offert,
Mox se perpetuum sub tua jura dabit.
Non illi pulcrum dociles colere arte capillos,
Non gemmas collo, aut fronte nitere sua,
Non mediam in picta procedere veste per urbem,
Spectandamque viris spectet et illa viros:
Sed caput obscuro stat rasum obnubere velo,
Stat fusca corpus lana operire suum,
Hærentemque Deo, et semper meliora sequentem,
Pauperem in angustæ vivere tecta domus.
O præstantem almis animum virtutibus! Olim
Te cœlum, Virgo, pro pietate manet.

PETRO PISANO

PRAEFECTURA VICETINA

ABEUNTE.

Lucida dum puro fulgebunt sidera cœlo,
  Adriacum liquidis dum mare curret aquis,
Præfecto, Pisane, tibi debebimus usque,
  Virtutesqne tuas sæcula cuncta ferent.
Nam, te Vicetiam imperio camposque regente,
  Agrestum posuit barbarus arma furor;
Te duce justitia et viguit, sollertia, et artes,
  Et silice est duro plurima strata via,
Intactæ celebrem ducit quæ Matris ad aram,
  Hinc pia inoffenso te pede turba canit.
I ergo, magne Heros, i, quo mandata Senatus,
  Quo Pisanorum te decora alta vocant:
Dulcia sed nondum saturatis ora tueri
  Eriperis; triste heu! ac flebile dissidium.